Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

Non opposita quidem hoc pacto. Sepe numero eos miratus sum
qui festos dies celebrant et agones gymnicos instituerunt
¶ Opposita vero cum in utroque membro aut contrarium ad contra-
rium refertur aut idem contrariis adiungitur hoc pacto utris-
que utilitatem attulerunt et hiis qui remanserunt et hiis
qui secuti sunt. Nam illis plura quam domi habebant conqui-
sierunt, hiis sufficientia domi reliquerunt ¶ contraria enim est
remansio secutioni sufficientes pluribus ¶ Item accidit enim se-
pius ut stolidi feliciter prudentes infeliciter agant. Item
navigavit per terras pedibus iunt per maria. Helespontum enim
iunxit athon montem effodit ¶ Item natura cives lege civi-
tate privantur. nam ipsorum alii misere interierunt alii turpiter
exulaverunt ¶ Item turpe est autem cum privatim barbaris in
familiaritate utamur multos sociorum ipsis publice servientes
negligere ¶ Item aut vivos amplifices aut mortuos derelin-
quas ¶ In hiis enim omnibus quod diximus fit. est que suavis huiusmodi
dictio vel quoniam contraria patent apte multoque magis
cum ad se ipsa brevi referuntur vel quoniam oratio silo-
gismo similis videtur. Elenchus enim oppositorum collectio est
¶ Huiusmodi autem oratio contencio dicitur. Compar vero
cum membra equalia sunt ¶ Assimilacio autem est cum
ultima utriusque membri similia sunt ¶ Idque necessario vel
incipiendo vel desinendo ¶ Et incipiendo quidem in omnibus
semper sic ager erat qui ager esse dicebatur ¶ Desinendo
vero in ultimis sillabis vel verbi vel nominis aut
etiam in integra dictione. Ac in verbi quidem ultima sillaba
quod similiter desinens dicitur sic putarunt eum benefecisse
et eum ipsum causam fuisse. In nominis autem quod similiter
cadens appellatur hoc modo erat in cogitacione maxima
et in spe minima ¶ In verbo autem integro quam conver-
sionem appellamus hoc pacto. At tu et vivo dicebas ~~vile~~ male
et nunc in mortuum scribis male. Conveniunt autem in eodem
non numquam contencio compar et similiter desinens ¶ Circuitum
vero principia in theodecticis enodata fere sunt ¶ Sed con